



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. De renuntiatione privilegij fori Ecclesiastici, quod competit Clericis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

commodum renuntiantis sit inseparabile à commodis aliorum; quia quod omnes tangit, ab omnibus approbati debet *juxta reg. 29. in 6.* Si verò pro privata tantum persona, & in privato tantum commodum privilegium v. g. aliquod principaliter alicui concessum sit, potest illi renuntiare, cui favor hic privatus factus est, nisi privilegium tale concessum fuisset ob imbecillitatem ætatis, aut æque principaliter privilegium tale in favorem hujus & in odium alterius concessum fuisset, aut renuntiatio talis ad peccatum induceret, & contra bonos mores esset, quibus in casibus renuntiatio non valet ob pessimas sequelas, quas secum traheret.

§. II.

De renuntiatione privilegii fori Ecclesiastici, quod competit Clericis.

Quod Clerici nec inviti seu coacti, nec volentes renuntiare possint privilegio fori Ecclesiastici, & consentire in Judicem Laicum, ut coram illo conveniantur, etiam si juraverint, hunc se judicem non subter fugituum, constat *ex c. Si diligenti 12. h. 2.* cum hoc privilegium non privatum tantum unius Clerici favorem concernat, sed toti Collegio Clericorum propter publicam honestatem & rotius ordinis Clericalis honorem concessum sit; & juramentum, quod est contra publicam utilitatem, non teneat. Volunt autem SS. Canones adeò sanctè hoc observari, ut in *relato capis. si Diligenti*, certas penas, amissionis causæ v. g. vel amissionis illius, quod evicit, quod habeatur à communione ex-

traneus &c. statuatur in eos, qui taliter renuntiant, & seculari judici se subijciunt.

§. III.

De Prorogatione jurisdictionis in Iudicem non suum seu alienum.

Prorogare jurisdictionem, aliud non est, quam spontè alicui Iudici se subijcere in ordine ad causam aliquam judicandam, ad quam aliàs de jure ordinario jurisdictionem non habet.

Fit hæc prorogatio 4. modis. De persona in personam, de re ad rem, de tempore ad tempus, de loco ad locum, & plura ad eam legitime faciendam requiruntur. Primum ut ille, cui partes litigantes se subijciunt, & in quem consequenter fit prorogatio, habeat jurisdictionem aliquam, alioquin partes non tam prorogarent jurisdictionem in se, quam novam conferrent, cum tamen consensus privatorum non possit facere judicem. Secundò, ut habeat aliunde jurisdictionem ordinariam neque enim jurisdicção delegata ad certam causam aut personam prorogari potest ad aliam personam aut causam, uti ex dictis jam patet, & *ex c. P. & G. 40. de offic. & potest. judi. deleg. juncta Gloss. V. Prorogatio nulla.*

Tercio requiritur, ut habeat similem jurisdictionem illi, quæ prorogatur, spiritualem scilicet, si ad spirituales causas cognoscendam fit prorogatio, criminalem, si fiat ad criminalem causam decidendam prorogatio &c. Quarto requiritur, ut fiat à partibus liberè & voluntariè se subijcentibus, saltem tacito consensu, & ipso facto. & Quintò denique requiritur, ut ea fiat lege non prohibente, sed permittente, qualiter tantum permittunt